

Suave¹, mari magno turbantibus aequora ventis,
 e terra magnum alterius spectare laborem ;
 non quia vexari quemquamst² jucunda voluptas,
 sed quibus ipse malis careas³ quia cernere suavest.

5 Suave etiam belli certamina magna tueri

per campos instructa tua sine parte pericli⁴ ;
 sed nil dulcius est, bene quam munita tenere
 edita doctrina sapientum templa serena,
 despiciere unde queas alios passimque videre

10 errare atque viam palantis quaerere vitae,

certare ingenio, contendere nobilitate,
 noctes atque dies niti praestante labore
 ad summas emergere opes rerumque potiri.

O miseras hominum mentes, o pectora caeca !

15 Qualibus in tenebris vitae quantisque periclis

degitur hoc aevi⁵ quodcumquest ! Nonne videre⁶
 nihil aliud sibi naturam latrare, nisi ut qui⁷
 corpore sejunctus dolor absit, mensque fruatur
 jucundo sensu, cura semota metuque ?

¹ *Suave [est]*

² Contraction pour *quemquam est* (sit en prose classique). La proposition infinitive [*vexari quemquam*] est le sujet de *est*.

³ *Careas* : 2eme personne du subjonctif présent, à valeur de potentiel, exprimant l'indétermination du sujet. A traduire par *on*. Même sens indéfini pour *tua* au vers 6. Construction : *sed quia cernere suavest [mala] quibus ipse careas*. (attraction de l'antécédent dans la relative).

⁴ *Pericli* = *periculi*

⁵ *Aevi* complément du pronom neutre *hoc* (cf *nihil novi*). Equivalent de *hoc aevum*.

⁶ = *videtis*. Infinitif exclamatif.

⁷ *Qui* (adverbe indéfini) : d'une manière ou d'une autre